



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

31. An propter imminentem mortem liceat adulto differre susceptionem Baptismi, aut illam prætermittere; cum tamen alioqui possit vitam conservare, si Baptismum omittat? Et cursim infertur, an adulto ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

Sup. hoc re-
pore in §. 1.
Ref. praece-
rite à lin. 2.

7. Restat modò videre, ad complementum questionis, quanto tempore parentes possint differre Baptismum infantium. Granadus *ubi supra*, num. 2; ex Soto, Valentia, & Henriquez asserit; non licere usque ad duodecimum diem Baptismum differre sine peccato mortali, nisi urgeret aliqua gravis causa. Id, quod suadet consuetudo Ecclesiastica baptizandi octavo die; ultra quem dilatio dierum, vel trium dierum, non videtur gravis. Sed plus addit Castrus Palauus *tom. 4. tract. 19. disp. unica, punct. 9. num. 4.* sic enim asserit: [Quae autem sit diuturna dilatio sufficiens ad peccatum mortale, arbitrio prudentis iudicanda est; teste Suarez *disp. 25. sect. 2. §. Sed queres*; & Henriquez *lib. 2. cap. 4. num. 3.* Crederem autem, seclusa gravi causa, ultra mensem à nativitate diuturnam esse dilationem: quia est dilatio contra communem praxim, & periculo scandali satis exposita. Stante verò causa gravi, qualis fortè est, ut Baptismus majori cum solemnitate fiat, permitti potest dilatio ultra mensem unum, sed non duos: adhibita tamen speciali diligentia, ne parvulo periculum contingat decedendi sine Baptismo.] Ita ille. Vide Layman, *lib. 5. tractat. 2. cap. 6. quest. 4. num. 2.* cui adde, me citato, Leandrum *de Sacram. tom. 1. tractat. 2. disp. 1. quest. 14.*

RESOL. XXX.

An ad suscipiendum Baptismum sufficiat attritio cognita?

Idem dicendum est quoad Sacramentum Pœnitentiae? Et an, ut attritio sufficiens sit ad Baptismum, sit necesse, quod sit supernaturalis objectivè, vel sufficiat qualiscumque pœnitentia imperfecta? Ex part. 3. tract. 4. Resolut. 13.

§. 1. **N**egativè respondet Adrianus in 4. de pœnit. *quest. 1. concl. 5. art. 3.* Alexander de Ales. 4. *part. quest. 18. membr. 2. art. 1.* Medina *Cod. de confess. quest. de confess. ficta iteranda.* Corduba in *questionario lib. 1. q. 2.* & Vega indicat *lib. 13. in Concil. Trident. cap. 14.* Ledesma 2. *p. 4. q. 20. art. 1.* Victoria in *sum. Sacr. num. 258.* & alij, & septem rationes adducit Cabrera pro hac firmanda opinione.

2. Sed ipse meritò illam impugnat *de Sacram. q. 69. art. 8. disp. 2. §. 5. & 10.* & Villalobos in *summa tom. 1. tract. 5. diff. 19. num. 3.* sic ait: [Sufficiente dispositione para este Sacramento es la atricion, y no se requiere contricion, assi lo tienen S. Thomas, Scoto, y es comun. El fundamento es, porque para el Sacramento de la penitencia no es necesario mas que esto, luego lo mismo se ha de dezir aqui, donde se concede mas facilmente el perdon, y no es menester que esta atricion sea tenida por contricion, como tambien diremos en el Sacramento de la Penitencia. Esta atricion es necesario, que sea sobrenatural, porque de otra manera no seria verdadera disposicion para la gracia.] Ita ille, & ante illum docet etiam hanc sententiam Nugnus in 3. *part. tom. 1. q. 69. art. 9. dub. 2.* ubi contrariam improbabilem esse affirmat.

3. Dicendum est igitur, attritionem cognitam esse sufficientem dispositionem ad Sacramentum Baptismi, unde si quis videat se non habere contritionem, licet potest accedere ad hoc Sacramentum, & justificatur in illo, & idem dicendum est quoad Sacramentum Pœnitentiae.

4. Sed plus addit Pitigianus in 4. *tom. 1. diff. 4.*

Sup. contem-
in hoc ver-
fic. usque ad
seq. infra in
tract. 7. Ref.
108. §. 1. 2.
& 3. & in
alio eorum
notationi.
Sup. hac at-
tritione in-
fra in prin-
cipio. §. ult.
hujus Ref.

9. 4. *art. 3. concl. 3.* ubi sic ait. Attritio sufficiens ad effectum Baptismi non est necesse, quòd sit supernaturalis objectivè, sed sufficit qualiscumque pœnitentia imperfecta, quae tamen absolute removeat affectum ad peccatum, id est, faciat ut amplius non vigeat, qualis est illa pœnitentia, quae est de ipsis peccatis in se; sub quacumque ratione quis illa detestetur, sive ea ratio sit quatenus sunt offensa Dei, sive ut habent reatum poenae aeternae, sive ut habent ignominiam, sive ob quemcumque alium ejusmodi respectum, quae pœnitentia solet nominari attritio imperfecta. Sic Pitigianus, & ante illum Sotus & Cano, quos refert, & meritò impugnant Joan. de la Cruz in *direct. consc. p. 2. de Baptismo, quest. 4. dub. 3. conclus. 2.* Nugnus *ubi supra dub. 4.* & Cabrera cum aliis, quia attritio naturalis non est proportionata dispositio ad gratiam, quae est forma spiritualis.

RESOL. XXXI.

An propter imminentem mortem liceat adulto differre susceptionem Baptismi, aut illam praeferre; cum tamen alioqui possit vitam conservare, si Baptismum omittat?

Et cursum inferatur, an adulto non sit medium necessarium ad salutem Baptismus in re susceptus, sed in voto sufficiat? Ex part. 5. tractat. 3. Resolut. 9.

§. 1. **V**T, v. g. si quis minaretur mortem adultò, si baptizetur, cum tamen alioqui posset vitam conservare, si Baptismum omittat; Et in hoc eventu certum est in primis licere differre Baptismum propter vitandum ejusmodi periculum, si postea creditur adfuturam occasionem recipiendi hoc Sacramentum. Deinde licet certò sciretur postea non fore suscipiendum Baptismum, nemo, per se loquendo, obligaretur illum recipere cum tanto vitae periculo; quòd quidem ferè omnes Doctores sentire, affirmat Suarez *disp. 31. sect. 3; paulò post initium*, probarique potest, quia adulto non est medium necessarium ad salutem Baptismus in re susceptus, sed in voto sufficit, ut supra dictum est; ergo cum aliunde amor vitae maximus sit, & magna obligatio illam prudenter conservandi, non tenebatur adultus tubere manifestum vitae discrimen, ut Sacramentum recipiat, sed satis erit si eliciat contritionem, & poterit aeternam adipisci salutem. Denique addo in praedicto casu non teneri adultum omittere Baptismum. Et quidem si ex Baptismi omissione proveniret grave aliquod incommodum contra Catholicam Religionem, creareturque aliqua infamia Ecclesiae, non solum posset, sed teneretur non omittere Baptismum, quia majoris momenti est honor fidei nostrae, quam vita unius, imò & plurium hominum; proptereaque dicebam, per se loquendo, non teneri adultum ad Baptismum cum vitae discrimine, quia per accidens teneri posset, ut in praedicto, & similibus casibus. Verumtamen licet nullum ejusmodi incommodum ex omissione Baptismi proveniret, non videtur homo teneri omittere hoc Sacramentum propter periculum mortis, si certò sciat non habiturum postea copiam Baptismi. Probatur, quia hoc non est sibi ipsi mortem inferre, quòd est intrinsicè malum, sed mortem ab alio infligi permittere, quòd quidem saepe licitum est, ut constat ex materia de homicidio, quando occur-

Sup. hoc &
sequenti do-
ctrina infra
in tr. 3. Ref.
95. §. ult. &
ex Ref. 107.
§. Notandū
est & ex
Ref. 108.
§. 1. & 2.

Sup. hoc in
tom. 2. tr. 6.
ex doctrina
Ref. 136.
paulò post
initium, verò
secundo. &
in tom. 7.
tr. 5. Ref. 76.
§. Quinto,
inferitur.

De Sacram. Baptismi. Resol. XXXII. 23

nunt graves cause ejusmodi permissionis : in præfenti autem gravis causa occurreret, quia licet Baptismus in re susceptus, non sit adulto omnino necessarius ad salutem, sed contritio possit ejus defectum in necessitate supplere, adhuc tamen est multo facilius per ipsum Baptismum justificari, & sæpè valde incertum an homo habeat contritionem, præferim quando de novo accedit ad fidem, & prius fuerat infidelis : ergo ut in tanto negotio prospiciatur vitæ spirituali, & eligatur medium longe securius ad salutem, non erit illicitum contemnere vitam temporalem alioqui incertam. Et hæc omnia docet Jacobus Granada, de Sacrament. contr. 4. tract. 4. disp. 2. num. 8.

RESOL. XXXII.

An adulti sufficienter instructi teneantur quamprimum suscipere Sacramentum Baptismi?

Et quid est hujusmodi tempus?

Et an, si ex incuria Parentum infantes non sint baptizati, & nolint in adulta ætate baptizari, possint ad id compelli?

Et an, si Parentes non baptizarent infantem surdum, cæcum, & mutum, sit baptizandus in adulta ætate?

Et contra Caietanum non ponitur in dubium Constantinum ante finem vitæ fuisse baptizatum. Ex part. 9. tract. 6. Misc. 1. Resol. 2.

§. 1. **A**D hanc questionem Serra in 3. part. D. Thoma. q. 68. art. 3. putat, adultis non baptizatis etiam sufficienter instructis, & idoneis nisi periculum mortis imminet, non esse jure divino determinatum tempus, ultra quod, si Baptismum differant, peccent mortaliter: teneri tamen sub mortali baptismum non differre usque ad mortem; & ante illam non differre illum per multum tempus voluntariè, & absque sufficienti ratione. Primam partem docet D. Thomas, in 4. dist. 17. q. 3. art. 1. quæstion. 4. ubi sic habet: [Ad Baptismum percipiendum non tenetur aliquis statim, postquam habet propositum Baptismi, ita quod peccet mortaliter, nisi statim baptizetur: nec est aliquod tempus determinatum, ultra quod, si Baptismum differat, peccatum mortale incurrat, &c.] Si periculum mortis imminet, etiam per se loquendo, obligatur aliquis ad baptismum suscipiendum.

2. Secundo probatur: nam, quod est hujusmodi tempus? Si dicas esse primam opportunitatem, & occasionem, qua possunt commodè Baptismum recipere: contra hoc est, quod loco proxime citato, ait: D. Thomas: Præcepta affirmativa non obligant ad statim, sed ad tempus determinatum, non quidem ex hoc, quod tunc commodè impleri possunt, quia sic si non daret aliquis elemosinam de superfluo, quandocumque pauper offertur, peccaret mortaliter, quod falsum est: sed ex hoc quod tempus necessitatem urgentem adducit. Ergo, cum Præceptum suscipiendi baptismum sit affirmativum, non obligat, quamprimum commodè recipi potest; (sicut nec Præceptum divinum Confectionis Sacramentalis, de quo ibi agit D. Thomas, obligat statim, oblata opportunitate,) sed quando tempus necessitatem urgentem adducit.

3. Verum ego existimo, adultum teneri divino Præcepto recipere baptismum, cum commodè potest: & ita docet Hurtadus, disp. 1. diff. 16.

Filliucius, tom. 1. tract. 2. cap. 6. num. 131. Coninch. in 3. part. q. 68. artic. 3. Leander de Sacrament. tom. 1. tract. 2. disp. 1. num. 12. Suarez in 3. part. tom. 3. disp. 31. sect. 1. Valentia tom. 4. q. 3. punct. 4. Henriquez, Granadus, Castrus Palau & alij. Probatur: quia certum est, Præceptum baptismi obligare: ea autem obligatio, non solum restringenda est ad articulum mortis, cum jam tunc finiatur via spiritualis, & ad terminum perveniatur; Baptismus autem institutus sit, ut initium vitæ spiritualis, & janua Sacramentorum, quibus ad terminum celestis patriæ properamus: obligat ergo Præceptum hoc ante mortem, sed non est aliud tempus in vita, quo verisimilius sit obligare, quam cum primum commodè recipi potest Sacramentum: ergo:

4. Confirmatur: quia adultus tenetur credere, cum primum ei sufficienter proposita sunt mysteria fidei: ergo etiam tenetur recipere Baptismum, cum primum commodè potest. Patet consequentia: quia, sicut fides statim obligat, quia est fundamentum vitæ spiritualis; ita etiam obligat baptismus, qui est janua Ecclesiæ, & necessariò prærequisitus ad recipienda alia sacramenta; & ut homo sit particeps orationum Ecclesiæ, gubernarique possit à Pastoribus, qui curant Dominicum Gregem, & erga non baptizatos non habent jurisdictionem.

5. Nec obstant rationes dubitandi: nam, licet in Scriptura, & Patribus non determinetur tempus, sufficienter illud colligitur ex ipsa rei natura, supposita necessitate baptismi: & quamvis sit affirmativum Præceptum, adhuc potest obligare statim, si non adsint rationes peculiare, ob quas differri oportet: sic enim obligat statim Præceptum recipiendi fidem sufficienter propositam; & tamen est affirmativum. Satis ergo est ad rationem Præcepti affirmativi, si non obliget quoad omnes circumstantias; sed aliqua occurrere possint, ratione quantum liceat differre executionem: & ita res se habet in præcepto baptismi: propterea enim addidimus in assertionem, obligare præceptum Baptismi, cum primum commodè recipi potest: occurrunt enim aliqua circumstantiæ, ob quas deficit ista commoditas, ac proinde cessat obligatio: & idè excusandi sunt Sanctus Ambrosius, & Sanctus Martinus, qui baptismum non statim receperunt.

6. Nec supradictis obstat exemplum Constantini Magni, qui in ultimo vitæ fuit baptizatus. Unde Caietanus in 3. part. q. 69. art. 8. sic ait: [Adverte, D. Thomam recitativè loqui de lepra Constantini: dico autem hoc, quia nullius autoritate constat, Constantinum mundatum à lepra in Baptismo: tum, quia gesta Sylvestri (ex quibus hoc videtur haberi) incertum habent Authorem; ut patet in cap. Sancta Romana dist. 15. tum, quia nullus, sive Christianus, sive Gentilis; Historicus invenitur hoc scripsisse, ut testatur Platina in Vita Marci Papa: tum præcipuè, quia Ambrosij autoritas obstat, dum in oratione de obitu Theodosij expressè dicit, Constantinum in ultimis constitutum baptizatum fuisse: quod longè distat ab hoc, scilicet, quod in principio suæ conversionis fuerit baptizatus. Et propterea narratio de lepra Constantini non est assertivè probanda.] Ita Caietanus.

7. Sed meritò adversus illum insurgit novissime Pater Lessius in 3. part. q. 68. art. 3. num. 5. Itaque dicendum est contra Caietanum, falsum esse, Constantinum sub finem vitæ Nicomediæ baptizatum: constat enim, illum initio conversionis baptizatum Romæ à Sylvestro. Patet hoc ex Concilio Romano;